

Sammelband von Dina



U. g. 1975

176
P R O C E S S V S I V D I C I A R I I

D I S P U T A T I O

Vltima

SEQVESTRA-

TIONIS ET ARRESTATI-

ONIS MATERIAM

continens

Q V A M

Ex Iure Civil. Can. Sax. Ordin. Cam.

Imp. & in foro receptis opinionibus

depromptam

A. D. O. M.

S V B P R A E S I D I O

Nobilissimi, & Amplissimi viri,

Dn. ARNOLDI DE REYGER, IC.

Clariss. & P. P. P. in illustri Salana

celeberrimi

Publicè discutiendam exhibet

P H I L I P P V S B A D D E N -

hausen Hesus.

550



I E N A E

TYPIS TOBIAE STEINMANNI.

ANNO MDLXCVI.

REVERENDO, VIRTUTE,
Doctrina, Pietateque conspicuo Viro Dn. HEN-
RICO VOLMARO MOGVNTII ad D. PETRUM
DECANO digniss. & Dioeceseos FRIDSLARI-
ENSIS Praeposito vigilantiss. Patrono &
Cognato suo omni reverentiâ
colendo,

Hanc DISPUTATIONEM

Consecrat & inscribit

Respondens.

Philippo Baddenhausen

LL. Studioso doctissimo amico & conterraneo.

Qui magnum Themidos pererrat equor
Nauclerum legat ille Labeonem
Et summum Cynosuran Vlpianum:
Et callet meus hunc & hunc Philippum.
Qui linquet scopulos periculosos,
Quos Astraea parit, ratem Severi
Paret, velaq; Maximiniani:
Philippus veneratur hunc & illum.
Qui salvus placidum freti videbit
Portum: Cuiacium sibi, & Donellum
Optet remigij sacros ministros:
Hunc Philippus & osculatur illum.
Qui legunt sibi, qui parant, & optant
Quos legis tibi, quos paras, & optas.
Qui callet, veneratur, osculatur,
Quos calles, veneraris, oscularis,
(Cordis dimidium mei Philippe,
Heres mentis & indolis paterna)
Feret luridicae brabea palmae,
Dum magnum Themidos pererrat equor.

Ioh. Ursinus Deyssell, Hessus



DE SEQUESTRATIONE
ET ARRESTATIONE

Disputatio ultima

CONTINUATIO.

De sententiis, earumque executionibus in superioribus disputationibus sufficienter satis dictum est. Quoniam autem sequestratio & arrestatio speciem aliquam executionis referunt, de iis non adeo ineptè hoc loco disquiritur.

THESIS I.



Sequestratio *a* est rei *b* litigiosæ *c*, vel fructuum ejus *d*, ab utroque litigantium *e*, vel iudice *f* facta depositio.

a Quæ à sequestro in usu juris nihil differt. arg. Rubr. C. de probib. pecun. sequest. & Rubr. ex cod. sit. iunct. l. 5. §. fin. l. seq. l. licet. ff. de deposit. Dd. ad d. l. un. C. h. t. Bart. ad l. si fideiussor. 7. §. fin. ff. de stud. cogant. ubiq. Jason. & Castr. Curt. Ang. Petrus Jacob. de Aren. in tractatibus suis de sequest. Goedd. in Rubr. de sequest. poss. & fruct. n. 3. Falluntur autem Interpp. dum perperam arrestum cum sequestro confundunt. Matth. Col. de proces. execut. p. 1. cap. 2. n. 81. 157. 159. Peck. de iure silendi. c. 1. nu. 4. Gaill. in tract. de arrest. imp: Nec rectius sentiunt, qui à missione in possessionem sequestrationem non discernunt, sicuti egregie tradiderunt Coler. d. tractat. p. 1. c. 2. n. 61. 64. Goedd.

Goedd. d. lo. n. 21. b Generaliter omnis quæcunque sub
factum custodiamque hominis cadere potest, siue mobi-
lis ea sit, siue immobilis. l. 1. 5. 6. 17. §. 1. ff. de pos. l. 1; §. 1.
ff. Commod. Rubr. C. h. t. e. 1. 2. & 3. Ex. de sequestr. possess. & fru:
iuncta l. questio. ff. de V. S. l. pecunia. eod. Coler. d p. 1. c. 2. n. 168.
& c. 3. n. 81. Motz. in tit. de depos. c. de reb. quæ deponi possunt.
Sed nunquid etiã depositum simplex in rebus immobili-
bus consistere potest? Affirmativam cum Goedd. ad l. 110. n.
3. & seqq. ff. de V. S. & in Rub. ex. de sequest. n. 9. & Nebelio in
disp. 12. th. 6. lit. a. tueri conabimur. facit l. 1. ff. de positi. l. 5. §. cus-
todiam ff. commod. l. 2. §. 1. l. 10. l. 11. ff. de per. & commod. rei
vend. Diss. Dd. communiter. gloss. ad d. l. 1. verb. Datum. ff. de positi.
ibidemq. Br. Bl. Salicet. Sich. in Rub. C. h. t. Azo. in sum. C. eod. tit. n.
3. Motz. d. lo. c. 1. n. 5. & c. de reb. quæ depon. poss. Hotio. in Com-
eod. tit. Vult. 1. iurispr. Rom. 33. in fin. Nec etiam
refert corporalis res sit, quæ sequestro ponitur, an in cor-
poralis, l. litibus. 19. C. de agr. & cens. l. 1. §. 1. Commod. Clem.
un. h. t. Ordin. Cam. Imp. p. 2. lit. 2. §. Ob auch in obberührem fall.
c. 1. 17. in pr. l. 110. de V. S. quo differt à deposito, in spe-
cie sic dicto. Treutl. disp. de depos. th. 4. d. c. 2. & 3. ex h. t.
Clem. un. eod. l. litib. C. de agr. & cens. Gail. 1. obs. 5. e. l. 6. ff.
depositi. Quæ est altera differentia simplicis depositi &
sequestrationis, quæ toties probatur, quoties unus solus
deposuisse legitur, perpetua tamen non est, quanquam
enim ut plurimum ab uno fiat, nonnunquam tamen e-
venit, ut etiam à pluribus hoc depositi genus con-
trahatur. 1. 5. ff. sam. Ercisc. l. 17. in pr. ff. de pos. & Vult. 2.
iurispr. Rom. 30 g Sequestratio enim depositi species est.
l. 5. §. 1. & 2. l. 6. l. 17. in prin. & §. 1. ff. & l. propter 5. C. de pos.
l. interesse. ff. de aqu. vel amit. poss. Goedd. ad l. 110. n. 1. ff. de V. S.
atq; adeo contractus iuris gent. §. ius a. gent. vers. & ex iur.
inst. de iur. natural. & civ. & bonæ fides. §. actionum. inf. de act. Diss.
à tota thesi gl. ad l. un. C. h. t. In verbo sequestrat. malè se-
questrationem definiens possessionis separationem,
quam plurimi alii secuti sunt.

II.

Quod diximus in sequestrum venire res quæcunque

eunque generis, tam mobiles, quam immobiles; tam corporales, quam incorporales, hactenus verum puta, quatenus videlicet ea vel jure vel natura hominum commercio exempta non sunt *a*. Quod ergo quibusdam *b* placuit pupillam, quam tutor nimis festinaret tradere nuptui, vel cujus vitæ insidiaretur, item mulierem nuptam, quæ lite pendente cum primo nubat secundo, sequestrari posse, id juris rationibus & naturæ sequestrationis propriæ congruum esse non crediderim.

a arg. §. 2. Inst. de mut. l. stipul. l. cum heredes. §. item quæro. ff. de acq. & amit. possess. §. fin. Inst. de empt. vend. Iure autem eximuntur res sacræ, sanctæ, religiosæ, publicæ, & quæ nullius sunt. §. 1. 2. cum seqq. Inst. de rer. divisio. l. 1. ff. eo. l. inter stipulantem. §. 3. §. sacram. 5. ff. de V. O. d. §. 2. Inst. de mut. stipulat. Natura exempta sunt quæ in rerum natura non sunt, nec futuræ sperantur. §. 1. Inst. de inutil. stipul. Itemque liber homo. d. l. cum heredes. §. item quæro. ff. de acquir. poss. l. 103. de V. O. d. §. 2. Inst. de inutil. stipul. d. l. 83. §. 5. de V. O. l. liberi. 70. de contrah. empr. cum similibus. Diss. Dua. ad h. r. in fin. Cuiac. ad d. l. sequest. ff. de V. S. Vult. 2. Jurisp. Rom. 30. Althus. 1. Jurisp. Rom. 30. per l. 3. §. in hoc interdicto. 6. ff. de lib. exhib. l. pen. ff. ubi pup. educ. deb. *b* Vide Caroc. p. 1. q. 1. q. 6. pr. ubi plures allegat. *c* Faciunt allegata supra ad lit. a. adde Goedd, in dispu. sua de sequest. ib. 37.

III.

Beneficiorum tamen *a* juris patronatus *b*, jurisdictionis *c* & feudi *d* sequestrationem fieri posse crebriori interpretum calculo receptum est.

a Clem. un. h. r. Quo loco indaginis est utilissimæ, possitne sequester, apud quæ Ecclesiæ vel beneficii, cui jus patronatus vel collationis adhæret, sequestrum factum est vacante sacerdotio præsentare aut conferre? Posse frequentius obtinuit, idque favore Ecclesiæ receptum est, ne rapaci alicui lupo, deficiente justo Pastore ovile Christi pateret. *c*. ne pro defectu. Ex. de Elect. facit tex. in d. Clem. un. h. r. ibiq. Gloss. Innocent. in c. examinata. de iudic. Dua. lib. 3. de benef. c. 10. Costal. ad l. 17. ff. de pos. Corras. 3. miscell. 2. n.

v. s. & seqq. Goedd. d. c. 2. n. 59. h. t. Diff. Panormit. in d. c. exami-
nata ibiq. Carsetus. b. Corras. d. lib. 3. miscell. 2. n. 16. Lamb.
de ur. patron. quest. 9. art. 3. lib. 1. p. 2. Goed. in d. c. 2. n. 59. & seqq.
c. Ordin. Cam. p. 2. tit. 21. § Ob auch in obberihrem Fall. Gat.
1. ob. 5. Hoc in casu quoq; sequestrem iuris dictionis il-
lius exercendæ potestatem interim habere Verius est.
Goedd. d. c. 2. n. 62. Treutl. th. 9. d. sp. de deposito. d. Glos. in c. 1.
si de feud. def. contr. fuerit. Affl. in c. un. de probib. feud. alien. per Fro-
der. §. illud. Caroc. p. 2. q. 8. quest. 6. prin.

IV.

Sciendum porrò est, duas esse species sequestra-
tionis, voluntariam unam, alteram necessariam a.
Voluntaria ex mera partium voluntate proficiscitur b,
ideoque semper & omni casu licita est c. Necessaria
iudicis officio expeditur d, parte etiam utraque vel
alterutra invita e, quæ de causa regulariter prohi-
bita f, & non nisi ex magna & urgenti causa indul-
getur g, Neutra tamen sequestrationis spe-
cie possessio in sequestrum transit regulariter b, in
voluntaria tum demum, cum hoc expresse actum est i,

a l. 5 §. 1. & 2 cum l. seq. l. 17. §. 1 ff. de posi. iunct. l. un.
C. de probib. sequest. c. 2. & 3. Ext. cod. Clem. un. cod. Curt. in tract.
de sequest. n. 19. Ang. Perus. ibidem. n. 1. Iacob. Aren. de seq. num. 1.
Myns. 5. obs. 35. Corras 3. miscell. 2. Vult. 1. Iurispr. Rom. 33. &
lib. 2. c. 30. Alth. in sua Iurispr. c. 30. lib. 1. Goedd. c. 1. n. 39. Sich.
ad l. un. C. h. t. n. 4. Gail. 1. obs. 5. n. ult. b. Steb. d. lo. n. 4. Duar. ad h. t.
Alth. d. c. 30. Gat. de ur. c. 12. n. 1 & 2. Corr. 3. misc. 2. n. 1. Goe. d.
lo. per l. propter. cum l. seq. C. & l. proprie. l. 5. §. 1. l. licet. 17. §. 1. ff.
depos. l. interesse. de acquir. possess. Alii aliter eam definiunt,
ut videre est apud Iacob. de Aren. præd. loco n. 1. & Cano. in
c. examinata. ext. de iudic. c. l. si soluturus. 39. in fin. de solut.
l. interesse. 39. de acq. poss. Fran. Curt. d. tract. n. 19. Iacob. Aren. n.
1. Costal. ad l. si fideiussor. 7. §. fin. ff. Qui satisd. cog. Sich. ad l. un.
C. h. t. n. 2. Vult. 2. Iurispr. Rom. l. 30. Alth. d. c. 30. Caro. c. p. 1. q. 3.
Goedd. in th. 10. disp. de sequest. d. d. l. si fideiussor. §. fin. ff. Qui
satisd. cog. ubi Iason. & Costal. l. Scto ff. de off. præsid. c. 1. 2. 3. Ex-
b. i. Clem. un. cod. Angel. Perus. in tract. de seq. num. 4. Azo. in sum.
C. h. t. Corras. d. lo. §. argum. d. l. si fideiussor. §. fin. l. fin. C. de
Ord.

Ord. Cognit. Angel. Perus. d. loc. n. 4. Vult. d. c. 30. Nec tamen
 propterea contractus esse desinit, quando quidem coacta
 voluntas, etiam voluntas est vulgata *l. si mulier. 22. §. 5.*
ff. Quod metus causa. l. 22. de ritu nupt. c. 1. vers. Nam & hoc. 15.
q. 1. interpositas. 13. C. de transact. f. non civili duntaxat,
verum etiam jure Canonico. l. un. C. de prohib. seq. c. 2. ext.
de seq. poss. & fruct. c. 1. ut lit. pend. c. cum teneamur. ex. de appellat.
nec pecuniae tantum, sed rerum indifferenter omnium.
Dd. communiter. ad d. l. un. lason. in l. 7. §. fin. Qui satisd. cogant. sp.
in tit. de sequest. poss. Ang. Perusin. de sequest. n. 4. Curt. d. loc. nu. 6.
Myns. 5. obs. 35. Gail. de arrest. c. 1. n. 7. Corr. 3. miscell. 2. n. 6. Alth.
d. c. 30. Diss. Cuiac in par. C. h. t. Robert. 1. sent. 5. Alth. sibi contrari-
us. lib. 2. juris p. Rom. c. 22. refutatis à Goedd. d. c. 1. n. 83. Et hoc
 jus Saxonicum quoque approbavit. *Landrecht. lib. 2. art.*
17. & art. 73. lib. 3. Weichbildt. art. 29 lib. 3. Landrecht. art. 73.
Matth. Coler. de process. exec. p. 1. c. 2. n. 81. in fin. Adeò a. ju-
dicialis sequestratio prohibita est, ut ne quidem ob con-
tumaciam quæ missioni in possessionem locum facit,
jure fieri permittatur. c. 1. ex. h. t. Goedd. d. c. 1. n. 106. Nebel.
disp. 12. th. 4. lit. b. Contrariam tuentur Panorm. in d. c. 1. Ex. h. t.
n. 18. & in e. 2. n. 17. eod. Felin. in c. examinata. ex. de iudic. Franc.
Curt. d. tract. n. 12. Coler. p. 1. c. 2. n. 72. & 84. Corras. 3. miscel. 2.
n. 8. moti textu. c. 2. ext. de dol. & contum. g. Vult d. c. 30. &
Dd. præallegati. dd. ll. h. per rationes adductas à Goedd.
d. c. 1. n. 115. Astipulatur Duar. lib. 3. de benef. c. 16. & Don. 5. Com.
13. Diss. Dd. communiter distingventes inter conventio-
nalem & judicialem sequestrationem, quæ distinctio
etiam placuit Corras. d. lo. n. 12. & 13. & Costal. in l. 17. ff.
depos. aliter dissent. Ves. in parat. ff. depos. n. 4. quem sequitur Alth.
d. c. 30. aliter Jacob. de Aren. n. 3. in fin. i. l. interesse. ff. de acquir.
poss. l. licet. 17. §. fin. ff. depos. Duar. Don. Goedd. prædictis
locis.

v.

Ad sequestrationem ergò necessariam cum non
 perveniatur, nisi is, qui ejus justitiam defendere conatur,
 eam juri consonam esse doceat. proximum erit, ut
 cognoscamus quibus in casibus ea fieri permittatur.

Quod

Quod ut fiat commodius tria exceptionum genera di-
stinctim proponere placet b. Primum genus versatur
circa adversæ partis prodigalitate[m] & malitiosam ejus
dilapidationem c. Velut si is, qui ex primo decreto
custodiæ causa in possessione est, fructus dissipet d,
aut si à sententia e, vel executione f, appellatum
sit, & depopulatio fructuum metuatur g. Idemque
est, si uxoris furiosa maritus bona dilapidet, ut metus
sit fore eum non solvendo vel dotem consumitu-
rum h.

a Br. ad l. 2. ub. & lason. ff. si quis in ius vocat Az. o. in sum.
C. de probat. arg. l. 5. ff. de probat. Bl. ad l. si tutor. in fin. C. de ser-
pign. dat. & a l. 1. n. 2. Ex. de alien. iud. mut. ea. V. V. senb. cons. 7. n.
6. & 7. b Elegantiſſimè Goedd. c. 2. n. 23. in fin. c Ratio
hujus exceptionis præcipua ea est, quod nemo ex ma-
litiâ sua & prodigalitate luctum sentire debeat. l. 12. §.
1. ff. de furt. cum similibus. Quin & aliâs prodigalitas pro-
priorum bonorum administrationem adimit. l. 1. ff. de
curat. furios. l. is cui. ibi Dd. ff. de V. D. l. is cui. ff. Qui testam. fac.
poss. d c. 2. ex. h. c. ub. Panorm. c. olim. ex. de rescript. Goedd. d.
c. 2. n. 16. & 17. cum seqq. e c. 3. ex. h. t. l. Impp. §. fin. ff. de ap-
pell. ibiq. Dd. f l. ab executione. C. Quor. appell. non recip. g
d. l. Impp §. fin. Franc. Curt. de sequest. n. 8. Iacob. de Aren. de seq. n.
7. Quod si non dilapidet, sed in suos usus duntaxat
convertat fructus rei litigiolæ, num sequestrandi?
Ita sentiunt Bald & Ludov. Rom. in l. si servum. in fin. ff. de acq. her-
edit. Putant enim paria esse ad concedendum seque-
strum, vel dilapidare, vel in proprios usus consumere.
Quam sententiam amplectuntur Panorm & communiter
Dd post Innocent. In c. fin. Ex. h. t. Angel. Aretin. in d. l. Impp.
sed distinctione adhibita, quam vide ap. Francisc. Curt. d. lo. n.
9. circa med. h l. 22 §. si vero. ff. sol. matr. Iniquum enim
est & periculosum hoc casu dotem apud maritum ma-
nere, quamdiu malos illos mores non deposuerit, &
uxor in furore permanserit. Goedd. d. c. 2. n. 25. Notan-
dum a. hic in enumeratis casibus sequestrationem ante
fieri non posse, quàm si probata sit dilapidatio. c. olim.
de rescript.

VI.

Hujus generis quoque est si à beneficii possessore, contra quem in possessorio vel petitorio una lata est sententia definitiva possessionis commodum interim, donec altera, quæ expectatur de eadem re sententia pronuncietur, transferendum esset *a*. Quod procedit etsi ab ea sententia appellatum non sit, neq; fructus dissipentur, modò ab eo iudice lata sit, à quo appellare nefas est *b*, puta à Papa vel Imperatore *c* vel alio superiore non recognoscente *d*.

a Clem. un. h. t. Goedd. c. 3. num. 6. & 7. Ratio hujus Exceptionis evidentissima, quia & iniquum est remanere hoc casu possessionem apud victum & condemnatum, & iniquum rem victo auferri, huicq; victori incerto reddi propter spem sententiæ secundæ, quæ fortè priorem evertere potest. Quod tamen ita demum jura admittunt, nisi victus ille possessor per triennium quietè possidisset. *d.* clem. un. & Francisc. Curt. de sequest. num. 14. *b* Goedd. d. c. 3. n. 7. *c* c. cuncta. 17. 9. q. 3. l. 1. §. 1. ff. de quib. appell. no. lic. Speculat. §. videndum. de appellat. n. 1. Maran. p. 6. n. 148. Ferr. 2. de appell. 3. Diff. Gvid. Pap. tract. de appellat. concl. 6. *d* c. per venerabilem qui filij legit. Speculat. d. §. n. 3. Rebuff. tract. de supplic. n. 21.

VII.

Secundum exceptionis genus proficiscitur ex causa denegatæ cautionis jure *a* debitæ concurrente scilicet fugæ *b*, vel dilapidationis morumque majorum suspicione, certisve indiciis *c*.

a Nam quæ ex conventionem debetur huic generi locum non facit Goedd. d. c. 2. n. 28. *b* l. si fideiussor. 7. §. si ibiq; Dd. communiter. ff. Qui satisd. cogan. Sich. ad l. un. C. b. t. n. 3. Jacob. de Aren. hic. n. 3. Quæ a. causæ aliquem reddant suspectum, vide Francisc. Curt. n. 33. Jacob. de Aren. num. 6. Richard. d. loc. n. 4. Menoch. 2. arb. iud. quest. cent. 1. Cas. 87. *c* Exempla hujus generis extant in d. l. si fideiussor. §. fin. l. 15. *B* de offic.

de offic. praesidis. Huc etiam referimus casum l. 20. C. de
 Agricol. & censit. cum Corrasio. 3. miscell. 2. n. 10. Diff. Goedd. d. c.
 2. n. 33. In conciliatione tamen d. l. 20. cum l. si quis condu-
 ctionis. 25. C. locati, stamus distinctioni Goedd. d. loco. Dissent.
 Robert. & alij qui arbitrantur per d. l. 20. ut posteriorem e-
 mendari. d. l. si quis conductionis. quod ipsum etiam ex parte
 sensisse videtur Gloss. in d. l. 25. Aliter dissentit Corras. d. c. 2. n.
 10. Alii aliter ut videre licet apud Goedd. pra'allegato
 loco. n. 34. & 35. De specie quae proponitur, in l. 1. §.
 si frater cavere. ff. collat. bon. controversia etiam est, num ad
 hoc exceptionis genus pertineat? Et hoc plerisque vi-
 detur, quos secutus est Robert. d. lo. Sed refutantur
 à Goedd. d. c. 2. n. 31. Similis error est, quem colligunt
 ex l. 5. ff. famil. Erisc., quemadmodum idem evicit Goedd.
 pra'dict. loc.

VIII.

Superest tertium genus, quod suppeditat nobis
 status incertitudo in rebus ad peculium pertinentibus,
 si enim servus ad libertatem proclamet, dominus autem
 in possessione vel quasi servitutis sit, peculium servi
 rectè sequestratur a. Atque hæc sunt tria illa, quæ su-
 pra proposui, exceptionum genera, ultra quæ alia non
 admittimus. Vnde deducitur non ob metum armorum
 b, nec ob mariti sævitiam c, sequestrationi
 locum esse.

a l. fin. C. quib. ad libert. proclam. l. 1. §. 1. C. de assert. toll.
 Coler. p. 1. c. 2. n. 134; Iacob. de Are. de seq. n. 3. Sich. ad l. un. C. b. t.
 n. 8. Et sicut aliàs multa specialiter in favorem liberta-
 tis recepta sunt, ita & hic à regulis juris communis re-
 ceditur. Goedd. d. lo. n. 41. b c. 1. ex. h. t. Goedd. d. c. 2. num.
 42. cum seqq. Diss. Dd. communiter post Bart. in l. fin. C. de edict. div.
 Gloss. & Canon. ad c. 2. ex. h. t. Iason. ad l. si super. n. 5. C. de transact.
 & ad d. l. si fideiussor. 7. §. fin. num. 17. ibiq. Costal. Coler. d. p. 1. c.
 2. num. 111. Corras. 3. miscel. 2. n. 9. Curt. de seq. n. 11. Vult. 1.
 Iurisp. Rom. c. 33. n. 10. Moventur imprimis textu, l. 17.
 §. equissimum ff. de usufruct. l. un. C. uti possid. c. 2. ext. de dol. & cont.
 Quæ sententia etiam nova Imperii Constitutione con-
 firmatur.

firmatur Ord. Cam. p. 2. tit. 21. §. Ob auch in obberühreten
 Fall. Covarr. Pract. quæst. lib. 1. c. 17. Gail. 1. obs. 5. & 6. Coler. d.
 c. 2. c. Nam tum uxor cautioni vel curatori com-
 mittitur. c. ex transmissa. c. literas. in fin. ex. de restit. spol. apud
 quem improprie deponi dicitur. Goedd. d. c. 2. n. 53. h. r. Diff.
 vulg. Dd. ex d. c. ex transmissa. 8. c. literas. 13. in fin. de restit. spoliat.
 Caroc. p. 1. q. 2. q. 6. prin. & p. 2. q. 14. Illud hoc loco præ-
 tereundum non est, in casibus, quibus non potest per-
 veniri ad sequestrationem, fieri saltem posse bonorum
 descriptionem. arg. l. 1. §. antepen. ff. de vent. in possess. modò
 honestus observetur modus, nec patrimonium rei peni-
 tus detegatur, neque ejus secreta divulgentur. l. 2. C.
 quand. & quib. quart. vers. Quid n. tam durum. l. 2. C. de alim. pupill.
 prest. Bar. in l. unica. C. de probi. sequest. ibi gloss. in ver. sequestrati-
 onis. & in l. si fideiussor. §. fin. ff. Qui satisd. cog. ubi Iason. & Castr.
 Sich. ad d. l. un. C. h. t. n. 10. Iacob. de Aren. n. 20. Francise. Curt.
 n. 15.

IX.

Ad obtinendum autem sequestrum necessarium
 in casibus permisis, imprimis opus est, ut summarie
 saltem judici constet de jure illius, qui sequestrum fieri
 postulat, ad quod ejus citatio necessaria est, in cujus
 præjudicium sequestratio postulatur b. Deinde jura-
 to affirmet is, qui petit sequestrum, se non calumnie vel
 æmulationis causa, sed ad sui juris vel debiti conservati-
 onem id postulare c. Denique exigitur ut ex legitime
 causa sequestratio petatur d.

a d. l. si fideiussor. §. fin. vers. si hoc iudici sederit. ff. Qui
 satisd. cog. Coler. p. 3. c. 11. n. 71. Bald. in l. 2. n. 10. C. quan. fisc. vel
 privat. & in l. quod tempore. n. 6. 7. 8. & 9. C. de restit. milit.
 Myn. 2. obs. 11. n. 1. Vul. 2. l. R. c. 30. b arg. l. in cause. §. causa cogn.
 ff. de minoribus. l. 3. §. causa cognit. ff. de bon. possess. Ange. in l. Impp.
 §. fin. de appell. Alex. consil. 6. n. 9. vers. non tenuit. Vol. 4. Decius. in
 l. fin. n. 7. C. de Edict. Div. Hadr. toll. Myns. Vult. dd. II. nisi fortè
 de fuga suspectus sit. Bald. in d. l. si fideiussor. §. fin. num. 3.
 Alex. & Ias. ibid. c. Caroc. d. p. 3. q. 4. cum alleg. Myns. d. obs.
 11. Vult. d. lo. d Cujus probatio alleganti incumbit.

B 2

c. olim.

e. olim. de r. script. c. 2. de dol. & contum. An autem legitime
facta sequestratione interim dum lis pendet sumptus li-
tis aliaque vitæ necessaria, ex fructibus rei sequestratæ
parti agenti porrigenda sint, disquisitionis est utilissi-
mæ? Quod frequentius obtinuit, modo aliud nihil
habeat, unde sumptus litis sumere possit. *l. 1. §. super
pecul. C. de assen. toll. l. fin. C. de Ord. cogn. l. is cui. §. Qui legatoru. ff.
ut in possess. leg. ubi Bartol. Rom. in sapius. d. l. si fideiussor. §. fin. Salu-
cet. d. l. fin. C. de ord. cogn. Curt. de seq. n. 20. Col. p. 3. c. II. num. 6.*

X.

Porro ut sequestrum contrahatur necesse est, ut
sit aliquis apud quem res de qua controversia est, depo-
natur *a*. Qui sequester in jure nuncupatur *b*, di-
ctus ab eo quod occurrenti aut quasi sequenti eos, qui
contendunt, committitur *c*. Cujus officio quisvis
fungi potest, nisi specialiter sit prohibitus *d*. Inter
prohibitos non habemus clericum aut sacerdotem *e*,
non servum *f*, non pupillum *a*. An litigantes?
utiq; *b* An judicem? Nequaquam *i*.

a Non enim satis est litigantes inter se de re li-
tigiosa apud amicum deponenda convenisse, nisi & is, apud
quem volunt rem esse depositam, annuat. *Goedd. in Rubr.
de sequest. possess. & fruct. n. 6.* Hinc colligitur officium se-
questri voluntarium esse nõ necessarium. *l. fin. C. de bon. auct.
iud. poss. Bart. in l. litibus. C. de agr. & censit. Francisc. Curt. n. 26.*
Quandoquidem contractum habere vel non habere in
cujusvis consistit arbitrio. *l. sicut. C. de oblig. & act.* Se-
questrum tamen semel susceptum pro libitu recusari non
potest, nisi ex magna eaque cognita causa. *l. 5. §. fin. ff. de
posit. Bald. in Rubr. ff. de pos. b l. 110. de v. s. l. interesse. ff. de
acqu. r. vel amitt. possess. d. l. 5. §. 1. l. 6. l. 17. §. 1. ff. eod. l. 5. ff. famil.
ercisc. Curt. d. seq. n. 29. c d. l. 110. ibiq; Goedd. & in Rubr. de
sequest. poss. & fruct. n. 6. ubi solidè cõfutavit Alciat dum con-
traria I Crum Modest. in d. l. 110. respondisse asseverare veri-
tus non est. Dissent. etiam Olden. in tract. de except. c. 50. secutus
Grithel. & Cuman. d. arg. l. 12. ff. de iud. l. 1. in prin. ff. de l. O.
c Bald.*

e Bald. in d. l. si fideiussor §. fin. Mar. de Ord. iud p. 1. dist. 11. num. 32. Caroc p. 1. q. 1. q. 5. Pri. f. l. 1. §. apud servum. l. si apud filiumfam. 21. ff. de posit. l. 2. de fideiussor. g modo doli capax sit. d. l. 1. §. an pupill. h Bald. in d. c. 1. de seq. poss. & fruct. Alciat. in d. l. 10. de V. S. Caro. d. p. 1. q. 2. q. 5. prin. i per text. in l. litigatores. §. 11. §. 2. vers. Quid ergo. ff. de recept. l. sed etsi. vers. proinde. ff. ad exhib. Bald. Alex. las. in d. l. si fideiussor. §. fin. Prudentius tamen facturos iudices si abstineant ad suspicionem tollendam monet Tyraquell. de Retract. conv. §. 4. gl. 7.

XI

Sequestris a. officium est rem cum omnibus accessionibus diligenter & fideliter custodire a, & generaliter omnia ea facere, quæ viro bono in re aliena custodienda incumbunt b. Quicquid enim in depositi observationem venit, id quoque ad sequestrum pertinet c, quin & si quid specialiter convenit, id etiam servandum est d. Distrahendi etiam re ita ferente, potestatem habet, sic tamen ut precium rei loco apud se deponat e, remque finita sequestratione bona fide restituat f.

a. §. præterea. Inst. Quib. mod. tollitur oblig. l. 1. ff. de posit. b. d. §. præterea. l. bonæ fides. ff. de posit. Goed. c. 2. n. 55. C. arg. d. l. licet. §. 1. d. l. propriè. l. 1. §. sæpe. cum §. seqq. ff. de pos. Hinc consequenter deducitur dolum duntaxat & culpam latam regulariter in hunc contractum venire. l. quod Nerva. ff. de pos. ibiq. Dd. communiter. d. §. Præterea. Levem autem & levissimam tum demum, si eam vel conventionem vel re ipsa in se receperit. arg. l. 1. §. si convenit. d. tit. d. l. propriè. ff. eod. l. contractus. ff. de R. I. l. 5. §. 1. ff. commod. l. si in Asia. §. fin. de pos. d. l. iurigent. §. 1. & seq. ff. de petit. l. in b. f. C. de pact. e. veluti si res sint, quæ moram litis non ferant, servandoque servari non possint, aut quarum diuturnior custodia bono patri familias displiceat. Dd. ad d. l. si fideiussor. §. fin. l. fin. C. de ordin. cogn. Bartol. ad l. interesse. ff. de acq. poss. Panor. in c. 2. Ex. h. t. n. 26. Dicuntur autem servando servari non posse, quæ ultra triennium non durant.

B 3

Gloss

Gloss. singul. in l. 1. C. si adv. usucap. e l. 5. §. 1. & 2. l. propr.
l. si in Asia. §. cum sequestre. ff. de pos. l. litibus. C. de agr. & cens. c.
1. 2. 3. Ex. h. t. clem. uni. eod. XII.

Videamus nunc quomodo sequestratio legitime
facta rursus finiatur. Finitur a voluntaria mutuo
consensu, diei adventu, conditionisque existentia b.
Necessaria solo iudicis decreto c, vel sufficiente satisfac-
tione c. Vtraque litis terminatione d. Qua occa-
sione rectè quæritur, num sequestrum factum lite pen-
dente, duret in causa appellationis? Quod verius
est e.

a l. 5. §. 1. l. 6. ff. de pos. l. nihil tam. de R. I. l. obligatio-
num fere. de obl. & act. §. hoc amplius. Inst. quib. mod. toll. oblig. b
arg. d. l. nihil tam naturale. de R. I. Dd. ad d. l. si fideiussor. §. fin. v. Ves.
cons. 7. Goedd. th. 54. Ferr. pract. in form. sequest. seu Saxim. in ver.
audeat. vel presumat. Salicet. ad Lun. n. 3. C. de prob. sequest. c
d. l. si fideiussor. §. fin. l. Scto. 16. ff. de off. presid. l. 5. §. 1. vers. sed si
nec ipsi. ff. ut legatorum serv. causa. Corras. 3. miscell. 2. in fin. Myns.
5. obs. 38. n. 7. Gail. 1. obs. 147. numero 5. Goed.
c. 3. num. 14. Sufficiens autem satisfactio est, quæ fit
per fideiussores vel pignora. l. si mandato. 59. §. fin. ff. man.
l. ergo quamdiu. 4. §. ad dici ff. de fidei com. libert. Corras. d. lo. Sed
quid si propter inopiam vel aliam difficultatem fideiuss-
sors invenire vel pignora dare non possit, num ad jura-
toriam cautionem admittendus? Aff. tum quando
persona, quæ se admitti desiderat, vitæ integritate est
conspicua, iudicisque arbitrio fide digna. per text. in l.
1. §. super. & ibi glos. C. de assert. toll. Auth. generaliter. C. de episc.
& Cler. Gail. 1. obs. 148. n. 6. Myns. 1. obs. 11. Bart. in l. usufructu.
4. C. de usufr. Quam sententiam Camerales quoque re-
ceperunt, ut testatur Mynsing. d. obs. 11. Secus est si
persona suspecta est, & læsæ existimationis. Matth. Coler.
de process. execut. p. 3. c. 11. n. 95. Franc. Cur. d. tract. n. 56. Gail. d.
obs. 148. n. 6. cum seq. Quod dictum est idonea satisfac-
tione sequestrationem tolli, tum procedit quando cau-
sa sequestrationis per eam penitus extinguitur. Corras. d.
lo. n. 19. cum seq. d l. Ei apud quem. §. si velit. ff. de pos. l. si quis
affirmavit.

affirmavit. §. Labeo. & ibi Bart. de dol. mal. l. fin. C. de Ordi. cogni.
Franc. Curt. n. 65. cum seq. e Quia sententia finem con-
troversie imposuisse non dicitur, quæ appellatione su-
spensa est secundum Bald. in d. l. si fideiur. §. fin. Specul. in tit. de
sequestr. poss. & fruct. §. 1. in verb. sed pone. Ang. Aret. in d. l.
Impp. §. fin.

XIII.

Duplex ex hoc contractu descendit actio seque-
straria, directa & contraria a, utraque bon. fid. est b
civilis c reipersecutoria d, perpetua & ad heredes
transitoria e. Illa datur litigatori ad persequendam
rem sequestro positam, cum omni causa f. Hæc
conceditur sequestro ad repetendum id, quod ratione
sequestri ipsi abest g.

a §. præterea. Inst. Quib. mod. re contrah. oblig. l. 5. §. 1.
ff. de posit. l. si in Asi. 12. §. cum sequestre. ff. eod. tit. tot. tit. ff. & C.
eod. b Quia ex contractu b. f. promanat. d. l. 5. in
pr. & §. 1. d. l. si in Asia. §. cum sequestre. l. 7. ff. de pact. §. actionum.
Inst. de actionibus. d. §. præterea. l. 1. §. 23. ff. de pos. c Partim
ex L. XII. tabul. partim ex edicto Prætoris. arg. l. 1. &
passim. h. t. Diff. Hott. in Comm. ibidem. d §. sequens. Inst. de
actionibus. ibiq. Institut. communiter. e arg. pr. Inst. de perpet. &
temp. act. l. 12. §. 2. ff. de posit. Goedd. in disput. sua th. 60. f. l. 1. §.
non solum. cum seqq. & passim. ff. de pos. l. 3. §. 1. com. Et datur ad
versus sequestre, ut eo loco exhibeat, de quo cōventū est.
Quod si de pluribus locis convenit, in arbitrio ejus est,
quo loco exhibere velit. Sed si nihil convenit, de-
nunciandum est ei, ut apud Prætorem exhibeat. d. l. 5. §. 1.
l. is penes. 6. C. eod. Veniunt a. in hanc actionem omnia
ea, quæ in depositi iudicium Goedd. d. disput. th. 62. Er-
rare hic arbitramur eos, qui præscriptis verbis & doli
maliactionem in sequestrem competere astruūt, ex quo-
rum numero est Rebuff. ad l. sequester. de V. S. Donel. ad tit. de
prescrip. verb. c. 2. n. 1. Bocer. th. fin. disp. de depos. allegant. l. si oleum.
§. Labeo. ff. de dolo mal. Hos refutavit Goedd. d. c. 1. n. 152
& seqq. arg. l. 1. 2. 3. 4. 5. ff. de prescrip. verb. l. 17. §. fin. ff. eod. l. 7.
ff. de dol. mal. Nec satis consultum est rei vindicatione
aut aliquo interdicto adversus sequestrem experiri.
Vvesenb.

Vvesenb. consil. 7. facit. l. 9. in fin. de R. V. c. examinata. Ext. de
iudic. g. d. l. 5. de pos. arg. l. nam hoc natura. 24. ff. de condict.
indeb. In quam actionem veniunt sumptus & damna
si quæ occasione hac passus sit. d. l. nam hoc natura. d.
l. 5. in pr. Franc. Curt. n. 24. Salic. in l. un. Circa fin. C. de prohib.
sequest. Salarium tamen hac actione non petitur. l. 1. §.
si vestimenta. 8. cum §. seq. ff. de po. Diss. Bald. ad d. l. si oleum. Cur. n.
28. per Clem. un. b. t. l. un. C. de prohib. seq.

XIV.

Haftenus de sequestratione pro ratione instituti
satis: restat ut de altera hujus disputationis parte, arre-
statione videlicet paucis dispiciamus. Est autem arre-
statio remedium juris executivum a, quo median-
te ex justa aliqua & per leges vel consuetudinem ap-
probata causa b, ad instantiam creditoris, c per-
sonæ d, aut res debitorum propriæ e, detinen-
tur autoritate magistratus f, ad eum finem, ut res
aut persona invito creditore ante statu suo non movea-
tur, quam rebus cum ipso compositis g.

a Pro maiore creditoris assecuratione introdu-
ctum Coler. in tract. de process. execut. p. 1. c. 2. n. 159. Lap. in Me-
tho. c. de execut. rei iudic. Peck. in tract. de iur. Sist. c. 3. num. 1. b
Regulariter enim à regulis juris communis exorbitat.
arg. l. nulla. ff. de iudic. l. negantes. C. de obl. & act. l. fin. C. de execut.
rei iud. Molina. ad consuet. par. p. 2. tit. 2. gloss 1. n. 2. Peck. d. lo. c. 2.
n. 5. Geil. de arrest. c. 1. n. 7. Ab executione enim, (cujus
species est arrestatio. Coler. d. tract. p. 1. c. 2. Gail. d. loc. nu.
10. Molinaus d. lo.) iudicium inchoandum non est, text.
in l. 1. C. de execu. rei iudic. & in l. nec quicquam. §. ubi decretum. ff.
de offic. proconsul. l. si cum nulla. ff. de re iud. Mol. Geil. Peck. dd. loci.
Oportet enim debitorem prius convinci, & sic deinde
ad solutionem pulsari. l. un. C. de prohib. seq. ubi D. d. commu-
niter. Idem etiam statutum de iure Saxon. Landrecht. lib. 2. art.
17. Man soll Niemandt weisen von seinem gut / das er in ge-
wehren hat / ihm wehre dann erst die gewehr mit rechte abgewon-
nen. Concordat gloss. Weichbildt. art. 29. & lib. 3. Landrecht.
art. 73.

tit. 73. vid. Col. c. 2. p. 1. n. 31. in fin. c. remedium n. hoc
 non datur, nisi fuerit postulatum. arg. l. 4. §. hoc iudicium
 ff. de damn. infect. Peck. d. tract. c. 1. n. 3. Exceptis quibus-
 dam casibus. d. quo differt à sequestratione. Ea ete-
 nim in reb. duntaxat consistit: At arrestum tam in per-
 sonam, quàm in rem exercetur. Goedd. in Rub. de seq. poss.
 n. 5. Budaus. ad l. fin. ff. de senat. c. arg. l. 15. §. 4. ff. de re iudi.
 l. rem alienam. ff. de pign. act. Pec. d. c. 11. n. 5. Sed quid si
 dominium rei debitori superveniat, num arrestatio con-
 firmabitur? Disting. f. Coler. d. lo. p. 1. c. 2. n. 159. Pec. d.
 c. 1. num 4. Gail. de pignor. c. 1. n. 6. Ex quo intelligimus cre-
 ditorem nec propria autoritate. argum. l. si pacto quo pæ-
 nam. C. de pact. l. extat. ff. quod met. ca. l. si quis. C. unde vi. l. si. C. si in
 cau. iud. nec cum apparitore publico sine mandato iudicis
 personam aut res debitoris sui sistere aut arrestare pos-
 se. Peck. d. lo. e. 14. n. 2. nisi fortè periculum in mora sit.
 Bald. ad l. fin. C. de exh. reu. & ad l. si quand. C. de testib. Mansu. in
 sua praxi. tit. de execut. & subbas. Hoc loco non incommo-
 dè sese offert illa quæstio, num iudex proprio appari-
 tore neglecto alteri mandatum arrestandi dare possit?
 Quod receptum est usque adeò, ut etiam parti adversæ
 ejusmodi mandatum fieri posse quidam opinentur.
 Bald. ad l. ut perfectius. C. de annal. except. Bart. Alex. & alij quos al-
 legat Peck. d. tract. c. 15. num. 1. g. Coler. d. lo. Gail. de Arrest.
 Imp. c. 1. n. 2. Goedd. in Rub. d. seq. n. 5.

XV.

Et competit hoc remedium non creditori dun-
 taxat a, verum etiam heredi b, & Procuratori
 ejus c. Item ei, qui jus sibi cessum à creditore ha-
 bet d; personæ conjunctæ e, socio f, denique
 etiam litis consorti g.

a Peck. d. c. 3. num. 1. Ipsius enim causa, ut supra
 dictum, arrestorum usus potissimum introductus est.
 b quantumvis intra tēpora conficiendi inventarii existat,
 si modò de fuga suspectus sit debitor Iason. in l. vinum. ff.
 si cert. pet. Pec. c. 3. n. 9. c. Iason. ad §. 1. Inst. de actionibus.
 Glossa. singul. ad l. 1. C. ubi quis de decuriali. Peck. d. c. 3. n. 3. P n a.
 C speciale

speciale ad hoc mandatum requiratur, discordantes ex-
 tant Interpp. opiniones? Negat. astipulamur. arg. l. 2.
 ff. de iurisdic. om. iud. l. ad rem mobilem. l. ad legatum. ff. de procur.
 Ang. ad l. generali. C. de decur. Alex. consil. 133. nisi verifi-
 mile sit ipsum creditorem debitorem ejusmodi arrestare
 noluisse. arg. l. non solum. §. fin. ff. de procur. Contrarium
 probavit Bart. Consil. 84. lib. 1. quem secutus est Felin.
 ad c. 1. num. 11. ver. Itaq. de iudiciis. d. Bald. ad l. per diversat
 C. mandati. arg. l. 2. C. de donat. l. ab Anasta. in verb. ab un. credito-
 rem. C. mandati. e. Etiam sine mandato, dummodo ca-
 veat eum pro quo id facit ratum habiturum. l. sed &
 haec. ff. de procurat. l. Pomponius. §. si. eod. c. accedens. de procur.
 Quod non procedit tum, quando conjuncta persona tu-
 tores vel curatores vel etiam procuratores habear ad il-
 lum auctum constitutos. Iason. ad l. exigendi. C. de procur.
 Bald. ad l. SC. C. qui accus. Non autem sicut conjuncta per-
 sona personam debitoris aut bona ejus detinere & ar-
 restare, ita etiam ab eodem solutionem recipere potest.
 l. Qui hominem. §. gener. ff. de solut. f. Pec. d. c. 3. num. 7. cum
 allegatis. g. arg. l. 2. C. de consort. Pec. d. lo. n. 6.

XVI.

Exercetur a. arrestatio in debitores quosvis eti-
 am clericos a, nec interest purum debitum sit, an in
 diem b, vel etiam sub conditione c, item fide-
 jussores d, heredesque debitorum, modo tempus in-
 ventarii conficiendi transierit e. Non tamen possunt
 arrestari Scholares eorumque bona f, item mili-
 tes g, & ii qui ad exercitum com meatum adse-
 runt h, sicuti nec Legati principum i,

a Mansu. in sua prax. tit. de execut. & subbañt. Pec. c. 4. n.
 1. item cives pro debito civitatis, Iason. & alij ad l. 4. ff.
 de re iudic. & ad l. sicut. ff. Quod cuiusq. univ. nomine.
 quanquam damnum quod ea ratione acceperint, ab u-
 niversitate recuperare possint. Laur. Sylv. consil. 35. nu. 8.
 lib. 1. b. Bart. Bald. Rom. ad l. si debitori. ff. de iud. Col. p.
 l. c. 2. n. 99. per l. quesitum. in pri. ff. de pign. & hypoth. ubi Goth.
 c. arg. l. omne as alienum. ff. pro socio. las. ad l. vinum si cert. pet.
 d. Baldo.

d Bald. ad c. cum contingat. de dol. & ad l. fin. C. de fideiuss. Pec.
 d. c. 4. num. 8. e arg. l. fin. §. donec. C. de iure deliberand. Pec.
 d. c. 4. n. 9. Quin imò etsi minor sit 25. annis heres, ni-
 hilominus tamen bona ejus arrestari possunt. ar. l. pupill. §.
 sed & si creditor. ff. de auctor. tut. f. Auth. habita. C. ne fil. pro
 patr. Quod adeò verum est, ut qui ausu temerario
 contrarium facere tentaverit, non solum infamiæ no-
 tam contrahat, verum etiam ad quadrupli præstatio-
 nem teneatur. d. auth. habita. vid. Rebuff. in tractat. de priv.
 stud. c. 83. Hoc autem non procedit tum, cum pericu-
 lum est fore ut creditores nunquam suum consequan-
 tur, nam alioqui daretur eis potestas contra omnem æ-
 quitatem defraudandi alios. contra l. si legationis. ff. de iudic.
 quod usus quoque recepit, teste Peck. c. 5. n. 2. & Coler.
 p. 1. c. 2. n. 101. g Gloss. ad l. Nepos Proculo. & ibi Dd. ff. de
 V. S. l. stipendia. C. de execut. rei iudic. Favore enim digni sunt
 qui armis suis Rempub. defendunt. l. 1. ff. de milit. testam.
 h arg. l. sepe. ff. de iure immunit. l. 1. C. de navicul. Qua de re
 extat constitutio Carol. V. Imp. Anno 44. die 19. Mensis
 Maii, & anno 54. die 5. mensis Augusti Bruxellæ edita. i
 ob æs alienum ante legationem contractum. l. 2. §
 legatis. ff. de iudic. c. ult. de for. comp. Ex contractu. n. quem
 tempore legoïs inierunt, iudicium suscipere coguntur.
 l. 25. ff. de iudic. Quin & si alios ibi convenire velint,
 eodem jure adversus eosdem uti debent. Dd. ad d. l. 2. §.
 legatis. ff. de iud.

XVII.

Porrò ut citra injuriam instituatur arrestatio, ne-
 cesse est. I. ut aliqualis fides judici fiat de debito vel
 per ostensionem instrumenti, vel per testes, vel per ali-
 am aliquam legitimam & summariam probationem d.
 II. ut forensis & extraneus arrestetur, non civis b III.
 ut ex justa legibusque approbata causa ea fieri postule-
 tur c. Sed num arrestum indebitè factum ex justa
 superveniente causa confirmetur, disquisitionis est ele-
 gantis? Placet negativa d.

a Vide Peck. c. 11. n. 3. cum allegat. auctor. Num a,
 C 2 solum

solum creditoris iuramentum ad hoc sufficiat, contro-
 versia non caret? Affirmat Angel. ad d. l. nemo carcerem.
 C. de exactor. tribut. eumq; secutus Imol. ad l. 2. ff. sol. matr. si mo-
 dō periculum in mora sit, iuxt. gloss. & Innocent. in c. quoniam
 ex. ut lit. non contestat. Negat Bald. ad l. apertiss. mt. n. 9. C. de iud.
 & consil. 285. n. 3. & 4. lib. 1. Testantur aliqui, quos re-
 fert Peck. d. c. 11. n. 5. multis in locis etiam si nihil iudici
 ostendatur, nihilque juretur ad totam partis & credito-
 ris assertionem concedi arrestum. b Civis enim co-
 ram suo iudice juxta consuetum iudiciorum ordinem
 conveniendus est, nisi fortē abitum paret. Bart. & alij
 ad l. de pollicitat. in fin. ff. de poll. Bald. ad l. per diversas. C. mandat. &
 ad d. l. si fideiussor. §. fin. c adeo ut injuriarum teneatur
 qui ex injusta causa aliquem fecit arrestari. arg. l. si
 creditores. in fin. de reb. auct. iud. poss. l. item apud Labeonem. §. si
 quis non debitorem. 33. l. iniuriarum. la. 1. §. fin. ff. de iniur. Gal. de
 arrest. Imp. c. 14. n. 1. cum seqq. Sed nunquid debitor injuste
 arrestatus dando fideiussores, injuriam remittere intel-
 ligitur? Negat Peck. d. tract. c. 13. n. 6. & alij ab ipso allegati
 Guil. d. c. 14. n. 3. Quæ sententia humanior videtur Iasoni
 ad l. de pupillo. §. si quis ipsi. ff. de nov. oper. nunc. Sunt etiam
 qui opinentur injuriosum istius modi creditorem in pœ-
 nam hujus temeritatis omne jus sui crediti amittere.
 Bald. ad c. causam matrimonij. in fin. ff. de offic. delegat. las. ad l. 2.
 ff. de iurisdic. omn. iud. Quod ut nimis durum & acerbum
 improbat Peck. d. c. 13. n. 5. d Quia omisio formæ
 specificæ reddit actum ipso jure nullum. l. cum hi. §. si præ. ff.
 de transact. l. hac consultissima C. de testamentis. las. cons. 162 lib. 2
 Quod autem ab initio nullum est, tractu temporis non
 convalescit. l. quod ab initio. ff. de R. I. c. non firmatur. eod. in 6.
 Diss. plurimi quos refert Peck. c. 12. n. 1. 2. 3. 4. 5.

XVIII.

Quemadmodū pœna nō caret injusta arrestatio: ita vicif-
 sim legitimæ arrestationis violatores impunitos jura
 non relinquunt. Quicumque enim arrestum fregerit, si
 deinceps deprehendatur, arctiori custodiæ commenda-
 tur carceris nimirū vel compedum tamdiu, donec cauti-
 onem

onem præstet de solvendo debitum vel de stando juri,
a pœnam tamen carcerem frangentis non incurrit b,
nec pro confesso habetur c.

a Mansv. in sua praxi. c. de subbasst. arg. l. relegati. 4. ff. de
pœn. l. aut damnatum. 8. §. quisquis autem. ff. eod. si modò plebejus
sit, Glos. in l. 1. ff. de serv. fug. Jacob. de Bely. in tract.
crimin. de question. Angel. de Areti. de malefici. verb. fam. publ. n. 83.
Boer. decu. 215. n. 19. Si verò nobilis aut aliter in digni-
tate constitutus discederet ex arresto is denuò requi-
rendus, ut sese sistat in priorem locum, indeque non re-
cedat quousque securum præstet creditorem, & satisfa-
ciat judici ob contemptam & violatam ejus jurisdic-
tionem. Matth. Coler. in tract. de process. execut. p. 3. c. 11. num. 50.
Prædicta autem procedunt quando justa recedendi causa
non suberat puta incendii, ruinæ, incursus hostium.
arg. l. 2 §. si quis municipalis. cum seqq. l. si is qui fideiussorem. ff. si
quis cau. iudic. sist. l. 49. §. 1. ff. ad L. Aqu. l. 13. §. 7. ff. loca. Idem-
que est si fugitivus ante emãationem novæ citationis pœnia-
tendo ipsemet se repræsentarit in locum, ex quo pedem
movit. Rom. consil. 143. n. 1. & 2. b Iason. ad l. admonendi
ff. de iureiur. Alber. d. Rosat. in l. succurritur. n. 3. ff. ex. quib. cau. mai.
Boer. d. decu. 215. n. 21. Diss. Menoch. lib. 2. cent. 4. cas. 301. nu. 9.
Oly. cons. 63. c Boer. d. n. 21. Coler. d. p. 3. c. 11. n. 50.

XIX.

Quid si non ipsi debitores, sed alii effecerint, ut
effugerent qua pœna plectendi erunt? Et placuit per
inde ad exolutionem debiti eos teneri ac si fidejussorio
nomine sese pro iisdem antè obligassent a; Eadem
ratio eorum est, qui debitorem jam jam sistendum vel
arrestandum occultarunt, ut tandem elaberetur b,

a arg. l. quoties. C. de exact. tribut. Bald. ad l. addictos cir.
fin. C. de Episc. aud. Bart. Angel. Cast. ad l. sed eximendi. §. 1. ff. ne
quis cum. las. ad l. 1 §. his videtur ff. si quis ius dic. non obtemp. Nec
liberatur ea obligatione, quamvis debitorem in potestas
tem creditoris reduxerint. Boer. decu. 217. n. 12. Angel. ad
d. l. quoties. Roman. ad l. admonendi. ff. de iureiur. Hipp. de Mars. fin.
137. Curt. ad d. l. admonendi. n. 102. Ab hac sententia recedit

C 3

Gomez

Gomez. in §. penal. n. 49. Inst. de act. b. Salic. ad l. fin. C. & oper. lib. per illum text Innoc. ad c. Pastoralis. de off. deleg Diss. Iason ad d. §. penales. Inst. de act. Pec. c. 26. n. 3.

XX.

Tandem tollitur arresti obligatio solutione ejus quod debetur a, cessione bonorum b, & satisfadatione idonea.

a arg. §. 1. Inst. Quib. mod. toll. oblig. c. cum cessante. de appellat. Pec. c. 3. 2. n. 1. b Per eam enim & carcer evitari potest. l. fin. C. Qui bon. ced. Coler. in tract. de process. execut. p. 1. c. 7. n. 16. Quod secus se habet de iure Saxonico Landtrecht. lib. 3. art. 39. concordat textus Weichbildt. art 27. circ. fin. c. text. l. si fideiussor. §. fin. ff. Qui satisd. cog. Quæ a. idonea satisfadatio sit, superius ad thesin 12. abunde satis expositum est. Quid si nec satisfadare, nec propter inopiam suam solvere possit? Carceri vel custodia traditur; Pec. d. lo. num. 4. Quod de arresto per satisfadationem relaxando dictum est sine dubio procedit, quando jus actoris nondum est liquidum. l. negantes. C. de obl. & act. l. 1. C. de execut. re. iud. l. quod si non solvere. ff. de pign. act. l. 4. §. ait prator. ff. de re iudicat. l. item liberatur. §. qui paratus. ff. Quib. mod. pig. vel hypot. Sin verò persona vel res alicujus arrestentur pro debito liquido

& confessato satisfadatione arrestum non tollitur,

per c. ex parte. de V. S. l. si finita. §. si quis damni.

cum l. seq. de damn. infect. Col. in tract. de

process. ex. p. 3. c. 11:

num. 88.





COROLLARIA.

I.

DE uscapione servitutum vetus & difficilis est controversia: Nos reprobata Dd. ^a distinctione inter continuas & discontinuas, omnes indistincte longi temporis præscriptione acquiri tuebimur ^b.

^a Capoll. de servit. c. 19. Dd. communiter. in l. servitutes. 14. ff. de servitut. & in l. foramen. ff. de servit. urb. præd. ubi & Costal. Balb. in tract. de præscript. 2. part. quart. part. prtn. c. 1. Myn. 4. obs. 53. Hott 4. obser. 2. Sich. ad l. 1. C. de servit. num. 2. ^b per l. ult. in fin. C. de præscript. long. temp. Cuiac. in l. 4. §. fin. i. ff. de usua. & in para. C. de usua. transform. latè V. Vesenb. in para. ff. de servitut. n. 6. Forcat. in d. l. servitutes. Longoval. in tract. de iurisd. Bronchorst. cent. 1. assert. 57.

II.

Pupillus sine tutoris autoritate nunquam civiliter obligatur ^a. Naturaliter tum, cum ex conventionem factus est locupletior ^b.

^a l. 9. in pr. ff. de auth. tut. l. obligari. 43. ff. de O. & A. l. pupillus. 189. de R. I. l. 1. §. 2. l. 3. ff. commod. iunct. l. 2. ff. de fideiuss. Cui. ad l. 127. de V. O. Vult. 1. discept. 16. ^b l. 13. in fin. l. 14. l. 41. ff. de condict. indeb. l. 59. de obl. & act. l. 5. §. 1. ff. de auct. tut. Diss. Dd. diversimodè, ut videre licet apud Vult. a. 10.

III.

Dubitatio non levis est, An is qui in diversiculo fluminis publici solus pluribus annis piscatus est, alium eodem

Eodem jure uti volentem prohibere possit? Negantium
nobis arridet opinio.

per text. in l. fin. ff. de usucap. arg. l. 5. in fin. & l. 6. in princ.
ff. & §. 2. Inst. de rerum division. iunct. l. 6. in pr. ff. de contrah. empr.
l. 9. ff. de usucap. Donel. 3. com. 2 2. Duar. ad d. l. fin. ff. de usucap. Cui-
ner. de usuc. pag. 55. Diss. Dd. communiter. per l. si quisquam. ff. de
divers. & temp. prescript. quos sequutus est Bronch. cent. 2. assert.
71.


IV.

Nec minus controversum est in jure feudali: An
feudum hypothecæ dari possit? Et non posse verius
est.

a argum. l. 9. §. propriè. ff. de pignor. act. §. fin. Inst. Quib.
mod. re contrah. obligat. §. item serviana. Inst. de action. iunct.
c. un. de prohib. feud. alien. per Frider. facit etiam
huc l. fin. C. de reb. alien. non alien. Diss.
Dd. pleriq.

F I N I S.







99 A 6904


ULB Halle 3
004 976 38X



TA 30L







176

PROCESSVS IVDICIARII
DISPVATIO
Vlisma

SEQVESTRA-
TIONIS ET ARRESTATI-
ONIS MATERIAM
continens
Q V A M
Ex Iure Civil. Can. Sax. Ordin. Cam.
Imp. & in foro receptis opinionibus
depromptam
A. D. O. M.

SVE PRÆSIDIO
Nobilissimi, & Amplissimi viri,
Dn. ARNOLDI DE REYGER, IC.
Clariss. & P. P. P. in illustri Salana
celeberrimi
Publicè discutiendam exhibet
PHILIPPVS BADDEN-
hausen Hessus.

IIENÆ
TYPIS TOBIÆ STEINMANNI.
ANNO MDLXCVI.